

detur posse permettere celebrationem Missae presbytero in haeresi ordinato, aut usum pontificalium episcopo in haeresi consecrato, aut usum receptorum ordinum lapsis in haeresim, schisma aut apostasiam et inde ad Catholicam Ecclesiam revertentibus (1). Huc usque de haereticis.

**468.** 2º De haereticorum *complicibus*, idest de credentibus, receptatoribus, defensoribus et fautoribus haereticorum, post ea quae diximus, brevis est sermo. Nimurum de credentibus, cum revera haeretici sint, repete quae supra diximus. Alii, si excommunicationi qua detinentur, satisfacere contempserint infra annum, praevia sententia declaratoria criminis, sunt infames, et ideo irregulares. Praeter hunc casum non putamus ex *cap. 2, § Haeretici, et cap. 15, De haereticis, in 6º*, ipsos esse inhabiles ad ordines, sicuti sunt inhabiles ad beneficia ecclesiastica et officia publica.

**469.** 3º Tandem *filios* haereticorum removeri a statu clericali, satis probatur ex *cit. cap. 2, § Haeretici, et cap. 15, De haereticis, in 6º*, addita Ecclesiae praxi. Idem declaravit S. C. C. in *Leodiensi, Ordinationis*, 20 Aug. 1678; nam propositis dubiis : « 1º An filius haeretici apostolica dispensatione pro ecclesiasticis ordinibus recipiendis indigeat ; 2º An sit concedenda oratori » ; S. C. respondit : « Ad 1º affirmative ; Ad 2º adeat S. C. S. Officij ». Accedunt responsiones S. C. S. Officij relatae *n. 461* aliaeque quas infra damus. Tandem lege epistolam Clementis VIII relatam *n. 473*. Haec lex ideo lata fuisse videtur, quia experientia satis docet non semel contingere ut filii parentum errores sequantur, et ideo eorum fides non immerito habetur suspecta.

**470.** Imo adeo filii haereticorum prohibentur promoveri, ut contraria consuetudo particularis non substineatur. Cum enim in Germania aliisque regionibus haec consuetudo recepta esset multique auctores traderent legem fuisse abolutam contrariis moribus quibus haeretici et multo minus eorum filii haud infames habentur, S. C. S. Officij *feria IV die 25 Julii 1866, in Posen*, declaravit: « Haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, filios esse irregulares

(1) Gratianus, in fine *can. 4, c. 1, q. 7*, in *Decreto*.

etiam in Germania aliisque in locis ubi impune grassantur haereses ». Deinde episcopus Harlemensis rursum adiit eamdem S. C. exponens quae sequuntur : « Sicut in variis Germaniae Galliaeque dioecesibus, item etiam in Harlemensi, obtinet consuetudo admittendi sine dispensatione apostolica ad minores maioresque ordines filios haereticorum. Haec consuetudo juri communi et S. P. Bonifacii VIII decretali (*cap. Statutum, De haereticis, in 6º*) non conveniens, Sedi Apostolicae non probata et abea etiam aliquatenus saltem reprobata mihi videtur ; quod concluso ex actis concilii provincialis Remensis an. 1857 celebrati. Ibidem enim, *cap. X, § 1*, ubi inter irregularitates ex delicto enumerantur secundo loco *haeresis et apostasia a fide*, additur praefata Bonifacii VIII dispositio ; quam additionem factam fuisse jussu S. C. Concilii Tridentini merito licet suspicari, cum Emus Card. Th. Gousset qui dicto concilio praefuit, antea in opere quod de theologia morali conscripserat, nullam fecerit mentionem irregularitatis qua filii nepotesque haereticorum essent notati. Hanc ob causam dictam consuetudinem tollere vellem, et juris communis ecclesiaeque Romanae disciplinam quoad hoc negotium in mea dioecesi introducere et servare. Adest vero aliqua difficultas, quia plures, nulla accepta dispensatione, sacris ordinibus sacerdotioque initiati, sacro munere sine ullo scrupulo funguntur ; sublata tamen consuetudine, scrupulis exagitarentur. Quae cum ita sint, ad Eminentiam tuam, Eme Princeps, confugio humiliter rogans : 1º Utrum toleranda sit praefata consuetudo, an potius tollenda ; 2º Si tollenda, utrum aliquo modo providendum sit iis qui antea vi dictae consuetudinis ordines sine dispensatione apostolica suscepserunt ; 3º Si tollenda sit, utrum per Eminentiae tuae intercessionem mihi per Sedis Apostolicae benevolentiam concedi possit facultas quae pluribus episcopis tribui solet, dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis quae ex bigamia vera vel ex homicidio voluntario provenerint. Ea enim facultate praeditus possum sine rumore jus commune introducere, praeterea subvenire illis qui ordinibus iniciati jam sunt, et si in hujus introductionis notitiam devenerint, forsan de sua irregularitate dubitarent, et tandem

prospicere etiam iis casibus qui aliquando occurunt in quibus ob aliam causam, scilicet ex defectu corporis, adest irregularitas ». S. C., die 11 Julii 1884 reposuit communicandum esse decretum emissum in *Posen.*, feria VI die 25 Jul. 1866; insuper addendum quod pro praeterito acquiescat; pro futuro detur ad quinquennium facultas dispensandi a tali irregularitate in singulis casibus.

**471.** Si autem quaeras quorumnam haereticorum filii promoveri prohibeantur, respondemus cum D'Annibale, I, § 433, hanc prohibitionem afficere filios haereticorum qui alicui damnatae sectae nomen dederunt, et his nos addimus filios haereticorum personaliter damnatorum; non vero filios aliorum haereticorum. Sane si alii haeretici post eorum conversionem et absolutionem possunt per se ordinari (n. 466), multo magis poterunt eorum filii. Evidem in *cit. cap. 2*, et *cap. 15*, *De haereticis*, in 6°, declarantur inhabiles ad beneficia ecclesiastica et officia publica non solum filii haereticorum sed etiam filii credentium, receptatorum, defensorum et fautorum haereticorum. At jam diximus (*cit. n. 466*) sola praxi universalis Ecclesiae hanc inhabitabilitatem posse ad ordines extendi; praxis autem Ecclesiae deficit pro filiis haereticorum non damnatorum aliorumque. Saltet dubium erit horum omnium filios esse prohibitos: ac proinde episcopus poterit dispensare. Insuper Bonifacius VIII, in *cit. cap. 15*, addit: « Hoc sane de filiis et nepotibus haereticorum, credentium et aliorum hujusmodi qui tales esse vel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur; non autem illorum quos emendatos esse constiterit et reincorporatos Ecclesiae unitati et proculpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiae poenitentiam recepisse, quam ipsi vel jam perfecerunt vel humiliter prosecutioni ejus insistunt vel parati fuerint ad recipiendam eamdem ».

**472.** Porro prohibitio ordinandi horum haereticorum filios, juxta declarationem Bonifacii VIII, *l. c.*, extenditur ad primum et secundum gradum per paternam lineam, ad primum dumtaxat per maternam (1). Id ita declarat Glossa,

(1) Si ad gradus remotores haec prohibitio alicubi porrigitur, hoc pe-

*l. c., v. Inane*: « Si Titius fuerit haereticus, receptator, fautor, vel defensor et habuit filium et filiam, uterque ipsorum subjacet prohibitioni; et si filius habet filium, ipse nepos ex filio prohibitioni subjacet; sed si filia habet filium, nepos ex filia non subjacet huic prohibitioni. Item si mulier aliqua est haeretica et habet filios, soli filii includuntur hac prohibitione, sed nepotes ex filiis non, et hoc intendit haec declaratio. Et hoc secundo casu cum mater fuit haeretica, intelligas verum, si pater fuit catholicus ut ejus respectus non habeatur ». Hinc e. g., in matrimonio mixto si pater est catholicus et mater est haeretica, filius ordinari nequit, etsi educatus, prout debet, in religione catholica, bene vero nepos ex filio; si e contrario mater est catholica et pater est haereticus, non solum filius catholicus, sed nec nepos pariter catholicus ex tali filio potest promoveri. Nil interest utrum filius vel nepos sit legitimus, an illegitimus (1): proinde illegitimus duplice prohibetur, ratione scilicet illegitimitatis, et ratione haeresis paternae. At filii vel nepotes qui nati sunt antequam pater vel mater in haeresim incidet, possunt ordinari (2): multo magis filius ordinatus ante haeresim paternam potest in susceptis ordinibus ministrare; de qua re nullum dubium (3).

**473.** Tandem prohibitio ordinandi filios haereticorum cessat ipsa conversione parentum (4). Ad rem Clemens VIII in epist. ad episcopum Pacensem, 6 Oct. 1593: « Nuper ad Nos perlatum est quod, licet semel atque iterum Fraternitati tuae, Cogis Ven. Fratr. Nostr. S. R. E. Card. Conc. Trid.

culiaribus statutis a Sede Apostolica confirmatis, est tribuendum: atque hoc de Hispania testatur Card. Petra in *comm. const. XV Innocentii IV, tom. III, pag. 85, n. 10*.

(1) Suarez, *disp. XLIII, sect. III, n. 2*: « Non enim debent (illegitimi) esse melioris conditionis eo quod turpius geniti sint ». Glossa in *cit. cap. 15, v. Volumus*: « Ne plus habeat luxuria quam castitas ».

(2) S. Alph., VII, n. 363; Salm., X, VIII, n. 83; D'Annibale, I, § 432; Schmalz., V, VIII, n. 115; Pirhing., n. 101; Sanchez., lib. II Mor., cap. XVIII, n. 28 et 30, ac plures alii. Haec doctrina quam rejiciunt Suarez, *l. c.*; Boenninghausen, I, pag. 150, sequ. aliisque, firmatur a simili ex dictis n. 455.

(3) Card. Petrá, *l. c., n. 59*, citans plures alios.

(4) Schmalz., *l. c., n. 117*; Reiff., V, VII, n. 270, 271; Suarez, *l. c., n. 1*; Ben. XIV, *De syn.*, XIII, XXIV, n. 21.

Interpretum nomine, per dilectum filium presbyterum Cardinalem Matthaeum, significatum fuisset, in ea Coge post maturam praehabitam disputationem resolutum fuisse *quod licet ex S. Trid. Conc. praecepto, cap. VII, sess. XXIII, teneatur episcopus ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem investigare et examinare diligenter, eos tamen qui originem a Judaeis ducunt, quique ab haereticis descendunt, per paternam lineam nimirum ultra secundum, et per maternam ultra primum gradum, ab ordinatione excludere minime debeat; quin neque etiam eos qui filii vel nepotes eorum essent, quos licet haereticici fuerint, constat tamen emendatos esse et unitati corporique Ecclesiae restitutos, quod nimirum suscepint pro admissa culpa ad mandatum Ecclesiae poenitentiam, quam aut perfecrunt, aut ei perficiendae insistunt, vel certe quod eam perficere sunt parati juxta const. fel. rec. Bonifacii VIII praedec. Nostri quae incipit STATUTUM. Id tamen intelligendum esset ubi apostolico aliquo privilegio aut confirmatione contrarium cautum non sit, et nisi aliud canonicum obsistat impedimentum, et in hanc sententiam eidem Fraternitati tuae injunctum extisset, ut secundum illam cum hujusmodi generis personis ageres, nec permitteres ut qui haereticae pravitatis inquisitoris officium exercueras, infensiore adversus illos animo, quam jus et aequitas postulat, esse videreris; Tu nihilominus litteris et ordinationi Cogis hujusmodi non paruisti. Proinde Nos Fraternitati tuae per praesentes praecepimus et mandamus, ut juxta dictae Cogis sententiam ac dicti Bonifacii praedecessoris constitutionem, supradictas personas quascumque ab haereticis per paternam lineam ultra secundum gradum, et per maternam ultra primum gradum, vel a Judaeis originem trahentes, ac etiam filios et nepotes haereticorum quos emendatos et Ecclesiae unitati restitutos esse constat, alioquin tamen idoneos, nec ubi aliud canonicum obsistat impedimentum, a sacris ordinibus in posterum minime exclusas, sed illos sine aliqua personarum acceptione libenter ad hujusmodi promoteas et promoveri cures ». Hinc eadem S. C. C. in*

*Romana*, 21 Maii 1718, declaravit non esse irregularem filium haereticorum qui ad Ecclesiae unitatem redierant. Plures excipiunt filios et nepotes haereticorum relapsorum et modo rursus redeuntium ad Ecclesiam Catholicam (1); sed haec exceptio non videtur admittenda.

Ex dictis sequitur hanc prohibitionem ordinandi filios haereticorum non esse proprie dictam irregularitatem (n. 169) (2), sicuti est prohibitio ordinandi parentes haereticos, quae perdurat etiam post plenam ipsorum reconciliationem.

Praeter casum conversionis parentum, haec prohibitio remitti potest tantum a R. P. vel ab aliis indultum habentibus.

**474.** Haec quae diximus de filiis haereticorum applicari non debent filiis eorum qui baptismum non receperunt. Nam horum filii baptizati ante usum rationis (secus sunt neophyti, de quibus n. 268 sequ.) jure communi non arcuntur a clericali statu (3). Id pro descendantibus a Judaeis aperte probatur ex cap. 77, *De rescriptis*, et inculcatur a Clemente VIII in relata epistola. Pro descendantibus ab aliis infidelibus id tradidit S. C. C. in responsione die 13 Febr. 1683, quam habes in cap. V, sect. I, art. II. Diximus vero hos infidelium filios *jure communi* non arceri a statu clericali. « Nam aliter dicendum foret si in beneficia erectione a fundatore cautum esset ne umquam illud conferatur descendentibus a Judaeis..... Idem judicium ferendum esset, si Summus Pontifex justis de causis statusset ne in aliqua regione descendentes a Judaeis promoveantur ad ordines; quod reapse in regno Portugalliae servari jussit Sixtus V suis apostolicis litteris datis die 15 Jan. 1588 et confirmatis a Clemente VIII die 18 Dec. 1600; quarum executionem iterum inculcavit S. C. S. Officii epistola ad collectorem ejusdem regni data an. 1661 ». Ita Benedictus XIV, l. c. Hinc in regno

(1) Schmalz., V, VII, n. 118; Reiff., n. 272; Pirhing, n. 105.

(2) Card. Petra, l. c., n. 55 sequ., cum Passerini, *De electione*, cap. XXV, n. 97, etiam ob aliam rationem negat in casu esse veram irregularitatem, quia scilicet filii haereticorum, ex cit. cap. 2 et 15, prohibentur recipere ordines, non quatenus ordines sunt, ratione sanctitatis illorum, sed quatenus sunt officia publica.

(3) Ben. XIV, *De syn.*, XI, I, n. 4 sequ.